UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

# C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon Libri IIX

Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius

Lipsiæ, Anno M.DC.XXX

In Libr. VI. notæ

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1194

Visual Library

# LAMP. ALARDI IN VALERII FLACCI ARGONAUTICON

## LIBR. VI. NOTAE.

VERS. 8. PROTINUS è CASTRIS FUGIT; SOPOR EXCITA TELA) Ita legit Carrio & diſtinguit; nullo ſenſus habito reſpectu. Emendo ergo: *Protinus è caſtris fugit ſopor; excita tela*; vel ut etiam ſequentis verſus habeatur ratio: *Ad cita Tela Turbati coiere duces*. Ita ſuus conſtabit verſui contextus & ſententia.

V. 14. CONSILIIS DUM NOX VACAT ALTA MOVENDIS) Nocturnæ vigiliæ ſtudiis & conſiliis aptiſſimæ, eo quod omnia ad excogitandum propter ſilentium accommodata ſunt. Unde illud: *plus olei quàm vini* quoſdam abſumpſiſſe, quâ de cauſâ Poetæ noctem εὐφρόνην à meditationis promptitudine vocitant. Epicharmi dictum eſt: *ſi quid ſcitu dignum quæras nocte meditandum*. Plutarchus adhæc in Sympoſiac. Decad VI. *apud Lacedæmonios fuiſſe ait* νυκτερινὸν σύλλογον *nocturnum conventum graviſſimorum*. Quare non incongruum lucubrationis ſymbolum eſt *lucerna*. Unde Demoſthenis illæ ac Ariſtophanis Grammatici & Cleanthis lucernæ celebratiſſimæ, atq; illa Epicteti tam frequenter â Noſtris quàm Græcis autorib. decantata, ut nulla apud omnes celebrior, nulla precioſior habeatur. Meminit Varo lib. I. de Ling. Lat. Hinc illud τὸν λύχνον ὄζει. Demoſtheni quoq; à Pytheâ objectum quod ejus enthymemata lucernam olerent, quippe qui nihil ex tempore diceret, ſed meditatione & vigilis elucubraret: Neq; ſegnis in reſpondendo Demoſthe-

moſthenes, qui non eodem pretio ſibi & illi conſtare lucernam, ſubijciebat; nocturna ſcilicet illi convivia exprobrans. Æſchines quoq; nimiam hanc hominis diligentiam inceſſens λογογράφον eum appellat: ſive quòd ſemper è ſcripto diceret, ſive quod in utriuſque partis favorem ſubinde ſcriptitaret. Unde jocus ille apud Ariſtophanem Irene; *de Lucernarum fabro, & quod omnia conſilia jam ad lucernam ſint conſultaturi.* De Æneâ Virgilius idem habet quod noſter de Perſeo:

*Nec minus Æneas ſe matutinus agebat.*

Unde conſilium Heſiodi lib. II.

Ὄρθρου ἀνιστάμενος, ἵνα τοι βιός ἄρκιος εἴη
Ἠὼς γὰρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.
Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργου.
Ἠὼς, ἥτε φανεῖσα πολέας ἐπέβησε κελεύθου
Ἀνθρώπους, πολλοῖσι δ' ἐπὶ ζυγὰ βουσὶ τίθησιν.

v. 40. QUOD GEMINAS ARCTOS, MAGNUMQUE QUOD IMPLEAT ANGUEM) Draconem, Septentrionale ſidus intelligit, qui ſpiris ſuis cingit urſas Arctoas vel Septentrionales, aliaq; ejus loci ſidera.

v. 42. MISERAT ARDENTES, MOX IPSE SECUTUS ALANOS) Alanos etiam Tactica Claudij Æliani inter bellicoſos numerat in Adriano. Dionyſius tamen eos diſcriminat, ut qui uno loco Alanos ad oſtium Mœotidis paludis collocat, altero Maſſagetas ad mare Caſpium. Quod autem ardentes vocat Alanos Poeta, calorem illis tribuens ex illo Claudiani intelliges VI. Conſol. Honorij:

*Ni calor micanti malè feſtinatus Alani*
*Diſpoſitum turbaſſet opus.*

Quo audaciam horum populorum nobilitat. Duritiem & fortitudinem addit Lucanus lib. VIII. qui *æterni Martis & duros* nominat.

---- ---- *peterem cum Caſpia clauſtra*
*Et ſequerer duros æterni Martis Alanos.*

Confer

Confer deſcriptionem Ammiani lib. XXXI. Solinus de his populis ſcribit, quòd poſteri Iaſonis haberi voluerint. c. XX.

v. 44. Pacta Quod Albano Coniux Medea Tyranno) Deſponſata erat Medea Albanorum Regi Styro, de quo Noſter. lib. V. v. 459.

*Tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris.*

v. 48. Proxima Bisaltæ Regio) Plinius lib. IV. cap. XI de his populis *Thracia ſequitur inter validiſſimas Europæ gentes in ſtrategias L. diviſa: Populorum ejus quos nominare non pigeat, amnem Strymonem accolunt dextro latere Denſeltha & Medi, Biſaltas ſupra dictos lævo.* Et capite præcedente: *Libera gens Biſalta à fluvio Biſalta, ſive Biſalta Solis, & Terræ filio, ubi lepores duplici jecinore ſunt, ut Theopompus tradit.* Ptolomæus in Propontide ponit Biſaltiam iter inter Heniochos, quibus origo græca eſt, ut ſcribit Plinius: nam & Biſaltæ ſunt inter Strymonem fluvium, & Edonicum ſinum.

v. 48. Ductorque Colaxes) Malim cum nonnullis exemplaribus *Coraxes*, utpote ſic dictum à populis Coraxis, de quibus Plin. lib. VI. c. V. *Subijcitur Ponti regio Colchia, in qua juga Caucaſi ad Riphæos montes torquentur, altero latere in Euxinum & Mæotim devexa, altero in Caſpium & Hircanium mare: Reliqua litora ferè nationes tenent Melanchlæni, Coraxi, urbe Colchorum Dioſcuriade, juxta fluvium Antemunta, nunc deſerta. Sunt qui conditam eam ab Amphito & Telchio, Caſtoris ac Pollucis aurigis putant, à quibus ortam Heniochorum gentem feram conſtat.*

v. 53. Cuncta Phalanx In Signe Jovis) Phalanx in bello vocata eſt coagmentatio militum ex plurimis decuriis. Claud. Ælianus Tacticâ cap. VII. Τὸ ὅλον τὸ σύϛημα τῦ πλήθυς τῶν λόχων φάλαγξ καλεῖται. Confer ſequentia. Ejus olim magnus erat terror.

Hinc Arrianus lib. II. καὶ τῆς δόξης φάλαγγος ὡς ἀμάχου δὴ ἐς τὸ τότε διαβεβοημένης. id eſt: Laude Phalangis tanquam invincibilis, etiam tum omnium ore celebrata. Paulus Æmylius Conſul, cùm primùm Phalangem Macedonum inſtructam vidiſſet dicere eſt ſolitus, ſe nunquam terribilius quicquam vidiſſe. Svidas è Polybio: Αἰμίλιος δὲ ὁ ὕπατος οὐχ ἑωρακὼς φάλαγγα τὸ παράπαν, ἀλλὰ τὸ πρῶτον ἐπὶ Περσέως, πολλάκις ἀνθωμολογεῖτο πρός τινας ἐν τῇ Ῥώμῃ, μηδὲν ἑωρακέναι φοβερώτερον Μακεδόνων φάλαγγος, καὶ τοίγε πολλοὺς οὐ μόνον τεθεαμένος, ἀλλὰ καὶ χειρωσάμενος ἀγῶνας εἰ καί τις ἄλλος. Idem Plutarchus profitetur in ejus vitâ.

v. 53. INSIGNE JOVIS CÆLATAQUE GESTAT TEGMINA) Inſignia milites in clypeis gerebant, quæ & aliâs veteribus uſitatiſſima. Virgilius lib. VII. de clypeis.

*Pulcer Aventinus, clypeoq; inſigne paternum*
*Centum angues cinctamq; gerit ſerpentibus hydram.*

Et infra:

*Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus*
*Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.*
*Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram*
*Suſtinet, Ætneos efflantem faucibus ignes.*
*Quam magis illa fremens & triſtibus effera flammis*
*Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.*
*At levem clypeum ſublatis cornibus Io*
*Auro inſignibat jam ſetis obſita, jambos*
*Argumentum ingens & cuſtos virginis Argus*
*Cælataq; amnem fundens pater Inachus urna.*

Ori-

Ovidius de Theſei agnitione, quæ patri facta ex inſignibus gladii. Metam. lib. VII.

*Agreſtes aconita vocant, ea conjugis aſtu*
*Ipſe parens Ægeus nato porrexit, ut hoſti:*
*Sumſerat ignarâ Theſeus data pocula dextrâ*
*Cùm pater in capulo gladij cognovit eburno*
*Signa ſui generis, facinusq́; excuſſit ab ore.*

Adhæc diverſa diverſis cohortibus ſcuta dabantur diverſimodè inſignita. Commemorat Livius lib. IX. *Diverſa diverſis exercitibus ſcuta data*; Flav. Veget. lib. II. c. XVIII. *Ne milites aliquando in tumultu prælii à ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis cohortibus diverſa in ſcutis ſigna pingebant: ut ipſi nominant δέιγματα, ſicut etiam nunc moris eſt fieri.* Præterea in adverſo ſcuto uniuſcujuſq; militis erat nomen adſcriptum, addito, ex qua eſſet cohorte, ex quâ centuriâ. Accerſam huc nonnullas formas unâ adhibito titulo ſeu nomine ipſorum militum & Magiſtrorum quibus ſuberant. Primo loco vide inſignia aliquot eorum qui ſub Magiſtro, peditum per occidentem Romanis militabant.



Batavi: Herculiani: Celtæ:

Vide etiam clypeo centra aliquot eorum, qui ſub Magiſtro equitum per occidentem militabant.



PROMOTI COMITES MARCOMANNI.

v. 55. MILES ROMANE CORUSCI FULMINIS) Legionem Romanorum ſignificat, quæ in clypeorum inſignibus fulmen gerebat, & dicebatur legio fulminatrix. Narrat Dio in Antonino & alibi. Verùm tamen de M. Antonino rem aliter exponit: Cum enim M. Antonini exercitus diebus quinq; aquæ penuriâ laboraſſet, & milites in anguſtiis montium Germaniæ à Quadis circumcluſi ſiti propemodum conficerentur: Imperatorem anxium & conſternatum adiit Præfectus prætorii, dictitans nihil eſſe, quod Chriſtiani precibus impetrare non poſſent à Deo: & eſſe in Legione XII. cohortem militum, qui omnes Chriſtum colerent. Ea re cognitâ Antoninus, petiit ab eis, ut Deo ſuo ſupplicarent. Quod cum illi poſitis in terrâ genibus & ad Chriſtum profuſis gemitibus feciſſent, ſubitò pluvia largiſſima divinitus miſſa eſt: quam Romani ore & ſcutis excipientes recreati ſunt, cum è contrario Quados alioſq; Germaniæ populos fulmina perſequerentur. Quare ſtupefactus Imperator Chriſtianos magnis adfecit honoribus & in perpetuam rei memoriam Legionem illam, in quâ illi militabant FULMINATRICEM nominavit, Græcè κεραυνοβόλον. Sic Quadi Chriſtianorum beneficio à Romanis victi ſunt; & M. Antoninus Imperator VII. appellatus eſt. Confer Capitolinum, Tertullian. in Apologet. Euſebium lib. V. Cæterum Conſtantini Imperatoris alia fuit ſen-

sen-

ſentia. Is & in cæteris negotiis religionis noſtræ devotiſſimum cultorem ſe exhibuit, id quod etiam in Militiæ diſciplinâ curavit: & cum alij. Imper imagines ſuas in ſignis præferri curarent, hic labarum in crucis ſignum mutavit, ipſamq; crucis figuram haſtis præferri curavit. Signa quoq; clypeorum ſui exercitûs cruce idem exornari voluit, atq; ipſi Labaro Chriſti nomen adhiberi curavit. Autor eſt Prudentius lib. I. contra Symmachum:

*Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro*
*Signabat labarum, clypeorũ inſignia Chriſtus*
*Scripſerat.*

Ibidem paulo ante:

*Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt;*
*In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget*
*Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.*

Quod autem Labarum clypeorumq; inſignia Chriſti nomine inſcripta dicit Prudentius, Græcis id literis fieri conſuevit, eo modo quo id veteres repræſentans nummi, quos inter eſt Magnentij, in quibus eſt ipſius effigies cum inſcriptione tali: D N. MAGNENTIUS. P. F. AUGUSTUS, cujus parte averſâ tale exaratum ſignum, cum eadem inſcriptione:




In quâ figurâ majorem literam nonnulli putarunt eſſe P, Latinum, cum ſit Ro, Græcorum.

v. 58. COLLEGERAT IPSE DRACONIS MATRIS HORÆ SPECIMEN) Fuerunt & hæc ſingularia Clypeorum inſignia, quæ ex ſuperius poſitis figuris aliquomodo cognoſces. Dum enim autor ait:

*---- ---- ---- linguisq; adverſus utrimq;*
*Congruit, & tereti ſerpens dat vulnera gemmæ.*

Vide annon ad tertium peditum ordinem, qui Celtarum eſt, conveniat.

v. 66. MISIT IN ARMA DARABS ACIES QUEM MARTIA CIRCUM GANGARIDUM) Gangaridas quoſdam inter Scythiæ populos Poeta ponit. Fuerunt alias Gangaridæ Indiæ populi invicti & exterorum armis ſemper intacti: quorum victoriam Virgilius Auguſto ominatur lib. III. Georg.

*In foribus pugnam ex auro ſolidoq; elephanto*
*Gangaridûm faciam.*

A Ptolemæo illi populi Gangaridæ vocantur lib. VII. ab aliis tamen Gangaridæ. Diodor. lib. III. ἀπολαμβάνων εἰς τὸ πρὸς ἕω μέρος τὸ ἔθνος τὸ τῶν Γαγγαρίδων πλείστους ἔχων καὶ μεγίστους ἐλέφαντας διὸ καὶ τῆς χώρας ταύτης οὐδεὶς πώποτε βασιλεὺς ἔπηλυς ἐκράτησε. Eorum etiam regio à Strabone lib. XV. Gandaritis appellatur.

v. 69. NON RODALO CUM FRATRE FIDON) alii legunt *Sydon*. Barbara ſunt nomina, & pleræque barbaræ gentes: nec intereſt diu in illis commorari. Quos Geographi enumerent Scythiæ populos (hîc à Poetâ enumerandos) adi & confer Plinium, Strabonem, Melam, Diodorum, alios. Noſtri enim inſtituti non eſt, hæc prolixius perſequi.

v. 70. FATIDICÆ MOVET AGMINA CERVÆ.) Fuit & hæc legio, vel ſingularis militum ordo: ita à cervæ inſignibus diſcriminatus. Quod autem Poeta deinde dicit: *Mœſta necis ſævæ luce reditura Dianæ,*

*næ*, intelligendum ex eo eſt, quod cervi & cervæ in tutela Dianæ erant. Hinc Servium Tullum ædem in Aventino Dianæ ſacraſſe ferunt, diemq; inſtituiſſe Idibus Auguſti, quo die ipſi cerva nata eſſet. Mos verò erat ut Deæ ara ex *cornibus* fieret cæſorumq; cervorum capita valvis & parietibus adfigerentur. Cæterum quod Poeta *cornua* cervæ tribuit; exinde videre eſt, quam Latini vates diligentes & ſuperſtitioſi Poetarum Græcorum fuerint imitatores, ut quemadmodum delectabat Balbinum polypus Agnæ, ſic eos delectent aliorum vitia. Homerus enim primus fortaſſe ejus rei autor, quem Noſter ſequitur, ab Ariſtotele tamen in arte Poet. reprehenſus eam ipſam ob cauſam. Quæ adeo res eſt, quod nuper ejus ſententiæ fuerim, pro Cervæ ſcribendum Cervo, niſi me verſ. 73. qui ſequitur revocaſſet. Ita enim habet:

*Mœſta necis ſævæ luco reditura Dianæ.*

Erant enim apud Romanos machinæ bellicæ peculiares, quas Cervos appellabant, quaſq; caſtris ad munitionem præfigebant. Meminit eorum Virgil. in Eclogis:

*Atq; humiles agitare caſas & figere cervos.*

Tibullus lib. IV.

*Nam te non alius belli tenet aptius artes,*
*Qua deceat tutam caſtris prædecere foſſam,*
*Qualiter adverſos hoſti defigere cervos,*
*Quémve locum ducto melius ſit claudere vallo.*

v. 74. Movit Et Hylæa Supplex Cum Gente Syenem) Syenem Plinius inſulam facit lib. V. cap. IX. *Incipit à fine Æthiopiæ Syene, ita vocatur Inſula C. M. paſſ. ambitu, in qua Coraſſæ ſunt latere Arabiæ & ex adverſo inſulæ IV. Philæ D. C. M. paſſ. & à Nili fiſſurâ unde appellari diximus Deltam.* Mela urbem Ægypti eo nomine recenſet. lib. I. cap. IX. ſub finem,

quem conſule. Horum populorum nemora in tam proceram ſublimantur excelſitatem, ut tranſiaci ne ſagittis quidem poſſint, teſte Solino. cap. LV. Unde Noſter verſ. ſeq.

*Denſior haut ullas, nec celſior extulit uſquam*
*Silvà trabes feſſæq́; prius redire ſagittæ*
*Arboris ad ſummum quā pervenere cacumen.*

Sed Virgilium imitatus videtur qui Georg. 2. ſic inquit:

*----- ---- ubi aëra vincere ſummum*
*Arboris haut ullæ jactu potuêre ſagittæ,*
*Et gens illa quidē ſumtis non tarda pharetris.*

v.83. è PRIMO TORQUENS TEMONE CATEIAS) Cateïa teli genus eſt, quod projectum retrahi poteſt. Virg.

*---- --- ſoliti torquere cateias.*

v.88. HOS SUPER ÆRATAM PHALCES AGIT ÆQUORE NUBEM) Quam autor intelligat nubem æratam facile erit conjicere illi, qui ex ære Clypeos apud veteres fieri norit. Eademq́; locutione nubem hanc vocat, quâ anteâ ſub finem lib. V. dixit *ſaxiferæ, imbrem arenæ*, v. 608. Talis ex ære Clypeus fuit ille, quo Democritus Abderites uſus ad effodiendos oculos, ut eſt apud Agellium, Virg. I. Æn.

*Aere cavo clypeum magni geſtamen Abantis*

lib. XI.

*---- ---- clypeumq; ex ære ſiniſtræ*
*Subligat.*

Ennius quoq; ſimpliciter æs poſuit pro clypeo ex eâ materie Feſtus: *Prolato ære apud Ennium ſignificat ſcuto ante ſe protento.* Loquitur ergo Poëta de clypeis, quorum condenſatio nubem adſimilet, vel quorum unusquisq; nubem adæquet, Hyperbolice: Nam id inſignia

teſtan-

teſtantur quæ his adſignat v. 90. Fuerintne autem clypei iſti ex ſolido ære dubitet forte quis rudior. Quis enim credat militem, galeâ, thorace, atq; tibialibus ex ære cunctis iſtis armatum (quales veterum illi fuerunt) inſuper tanto oneri gerendo nedum tractando parem eſſe potuiſſe. Veroſimilius eſt externam ſuperficiem clypeorum, ære obductam fuiſſe, cùm ad munimentum, tum ad tutelam, reliquas partes ex multiplicatis boum pellibus. Ovidius de Achillis clypeo Metam. XII.

*Dixit & hæſurum clypei curvamine telum,*
*Miſit in Æacidem, quod & æs & proxima rupit,*
*Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum eſt.*

Ubi decem orbes ipſi adſignat, unum æneum, reliquos è pellibus. Inde Heſychius ἐπίχαλκον vocat ἀσπίδα ἐπίχαλκος ἀσπὶς ἔχει τὴν χαλκῆν τὴν ἐπιβολήν. Etiam Polyæn. ἐπιχάλκων ἀσπίδων meminit. lib. VII. Crœſo, com. I. ἡ γὰρ μὲν αὐγὴ τῶν ἐπιχάλκων ἀσπίδων τὰς ὄψεις τῶν προστικῶν ἵππων ἀπέστρεφεν. Lucani è vimine faciebant ſcuta, corioque tegebant teſte Saluſtio. Meminit etiam Pollux alius materiæ, unde confieri ſolebant utpote *viminum*, *ligni*, *&c.* Ita enim inquit ἀσπὶς οἰσυΐνη, ἀσπὶς ἀπὸ ξύλου, ἀσπὶς ἀπὸ βύρσης, ἀσπὶς ὠμοβοΐνη, ἀσπὶς χαλκῆ *&c.*

v. 91. FERRATAQUE DORSO FORMA SUUM) Clypeorum aliquos inſignitos fuiſſe dicit formâ ſuum. Variæ enim erant formæ. Claudianus in Conſulatu Probini & Olybrii de Romæ Clypeo.

*Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum,*
*Et formidato clypeus Titana laceſſit*
*Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.*

*Hic patrius Mavortis amor, fetusque notantur*
*Romulei: poſt amnis ineſt, & bellua nutrix,*
*Electo Tyberis, Pueri formantur in auro:*
*Tingunt ara Lupam, Mavors adamante coruſcat.*

Diogenes Laertius lib. IIX. Apollini ſacratum clypeum deſcribit his verbis: εἰσελθὼν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν, ἐπέδειξεν ἣν Μενέλαος ἀνέθηκεν ἀσπίδα, ἔφη γὰρ αὐτὴν ὅτ' ἀπέπλευσεν ἐκ Τροίας, ἀναθεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἀσπίδα διασεσηπυῖαν ἤδη, μόνον δὲ διαμένειν τὸ ἐλεφάντινον πρόσωπον. Cætera quæ ad veritatem clypeorum pertinent vide apud Lipſium III. de militiâ Romanâ.

v. 92. PRÆLIA NEC RAUCO CURANT INCENDERE CORNU) Veteres non lituo tubâve aut tympano in conflictu uſos ad animos militum incitandos, ſed fortium virorum laudibus Poeta ſcribit, cumprimis corallos: Idem Horatius à Tyrtæo ante factum ſcripſit, de arte Poeticâ ad Piſones, ſed verſibus:

*Tyrtæusque mares animos in Martia bella*
*Verſibus exacuit.*

Inde Claudius Ælianus Tacticâ: δεῖ δ' ἐθίζειν τὰς δυνάμεις τὰς πεζικὰς, καὶ τὰς ἱππικὰς τὰ μὲν φωνῇ, τὰ δὲ διὰ σημείων ὁραθῶν, ἵνα καθ' ἑκάστην ἐπιτηδειότητα τὸ προσῆκον γίνωνται.

v. 96. HINC JURATOS SECUM TRAHIT ABA BATERNAS) quos Poeta vocat Baternas, Geographis Baſternæ ſunt. Appianus in Mithradatico: *Transmare in Europâ Sarmatarum gentes, Baſilii, Iazyges, Coralli, Thracum item quæcunque Iſtrum flumen & Rhodopen, Æmumque montem accolunt & inſuper Baſternæ omnium hominum fortiſſimi.* Hermolaus quoque in Plinium lib. IV. c.

12. pro

12. pro Jagyges & Abſternæ ſcribendum, inquit; *Iazy-*
*ges & Baſternæ.* Dionyſio quoq; ſunt *Baſternæ.* Con-
fer Strabonem & Ptolemæum.

v. 98 ÆQUAQUE NEC FERRO BREVIOR NEC
ROMPHEA LIGNO) Romphea vel Romphæa Thra-
cum volunt eſſe telum, freti autoritate T. Livii cujus
hæc ſunt I. Decad. II. verba: *Thracas Romphææ in-*
*gentis & ipſæ longitudinis inter adjectos undiq; ramos im-*
*pediebant.* Confer Iſidor. in framea & vetus Gloſſar.
Bapt. Mant. Parthenicê II.

*Quã gerit adverſas feriat Romphæa conhortes.*

Quod verò *Romphea* Noſter habet correpta ſecundâ:
Maſerius M. Scripto excuſat, ubi *Romphia* fuiſſe ſcri-
bit. Ab aliis quoq; *Rumfea* vocatur. Abbo de Obſid.
Luth.

*Quos valide numero bellantes ſub duodeno*
*Rumfea, vel formido Danum non terruit.*

v. 103. ARIASME NE BELLIS TRADIDERIM
MOLEM BELLI) *Moles belli*, Immanem hominem,
& robuſtum ſignificat. Sil. Ital. *Molem viri* dicit:

*Moles illa viri, validoq; habitata Gradivo*
*Pectora* ---- ---- ---- ----

Idem XVII. de Equo:

----- *ſubitæ occulto collapſa tremore*
*Cornipedis moles.* Sic Manil. lib. IV. *Molem*
*Elephanti* dixit.

v. 105. UNDIQUE FALCATOS DESERTA PER
ÆQUORA CURRUS) de his currubus Claud. Ælianus
Tacticâ cap. XXII. Τοῖς δ' ἅρμασι οἱ μὲν ψιλοῖς κατεχρή-
σαντο οἱ δὲ δρεπανοφόρα κατεσκεύασαν. Illis Macedonas
primum uſos reperimus. Heſychius: δρεπανοφόρα ἅρ-
ματα φασὶ πρώτους τοὺς μακεδόνας χρήσασθαι. De Falcato-
rum curruum uſu ap. veteres qui plura deſiderat adeat
Vege-

Vegetium lib. III. cap. XXIV. & quæ Stevvechius prolixè ibi notat.

v. 107. CASPIADÆ QUEIS TURBA CANUM NON SEGNIUS ACRES ) Mirum eſt, quod de canibus Caſpiadum Poeta narrat. Ne quid tamen Poetica Hyperbole ab eo dictum exiſtimes: ecce ſimile quid narrat Solinus de canibus Alanis, cap. XX. dum inquit: *Apud hos populos nati canes feris omnibus anteponuntur, frangunt tauros, leones perimunt, detinet quicquid objectum eſt &c. Mox: Garamantum Regem ducenti canes ab exilio reduxerunt præliati adverſus reſiſtentes. Colophonij & Caſtabalenſes canibus in bella productis primas acies inſtruebant.* Cæterum de Caſpiis Portis idem autor cap. L. *Caſpiæ Portæ, inquit, panduntur itinere manu facto, longo 8. millibus paſſuum. Nam latitudo vix eſt plauſtro permeabilis. In his anguſtiis etiam illud inter alia difficile, quod præciſorum laterum ſaxa liquentibus inter ſe ſalis venis exſudant humorem adfluentiſſimum, qui mox vi caloris conſtrictus velut in glaciem coit. Præterea octo & viginti millium paſſuum tractus omnis, quoquo inde pergitur nullis puteis vel fontibus humo arida ſine præſidio ſitit. Tũ ſerpentes undiq; gentium convenæ, â verno ſtatim die confluunt. Ita periculi ac difficultatis concordia ad Caſpios niſi hyeme acceſſus negatur.* De populi hujus moribus vide plura apud Euſebium lib. I. c. 3. de præp.

v. 118. ET CENTUM GEMINÆ LONGÆVA NOVALIA THEBES ) Thebe vel Thebæ urbs in Bœotia, teſte, Mela lib. II. c. 3. Plinius de illâ ſic lib V. c. 9. *Ægyptus ſuper cæteram antiquitatis gloriam XX. M. urbium ibi Amaſe regnante habitata præfert: nunc quoq; multis etiamſi ignobilibus frequens; celebratur tamen Apollinis, mox Leuconoë & Dioſpolis magna eadem Thebe portarum centum nobilis fama, copioſa Indicarum Arabicumq; mercium, Nilo proximum emporium.* Hunc numerum portarum reſpicit Satyricus cum dicit:

*Rari quippe boni, vix ſunt numero totidẽ, quot*
*Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.*

v. 122. EXPERTES CANENTIS IAZYCES ÆVI) lego *Iaziges* ex Apiano & Hermolao in Plinium, quorum verba citavi paulo ante verſ. 96. De his ſcribit Poeta, quod non caneſcant, hoc eſt ad maturam ætatem perveniant, ſed ſimulac vires deficiunt, ſtatim à natis interficiantur. Confer Hiſtoricos.

v. 129. HIC ET ODORATO SPIRANTES CRINE MICELÆ) Solebant veteres Romani crines unguento delibutos habere: Nec ſolum illi, verum & aliæ gentes. Hinc Callimachus Hymn. v. λιπαρὸν πλόκαμον *dixit*. Syneſ. Epiſt. 32. ὁ γὰρ ἰδὼν τὸν πορνότριβα σοβοῦντα διὰ τῆς ἀγορᾶς, ἐν στεφάνῳ καὶ μύροις μεθύοντα καὶ κωμάζοντα. Horatius Lib. II. Carm. Od. XI.

*Cur non ſub alta vel platano, vel hâc*
*Pinu jacentes ſic temerè & roſâ*
*Canos adorati capillos*
*Dum licet, Aſſyriâq; nardo*
*Potamus uncti?*

Et apud Ovidium, Juvenalem, & alios, cumprimis Catullum, Tibullum, Propertium.

v. 135. THYRSAGETEN) De Thyrſagetis Pomp. Mela lib. I. cap. XXI. *Iuxta Mæoticos, Budinos, & Gelonos Thyrſagetæ ſunt, & cum Thurcis vaſtas ſylvas occupant, alunturq; venando. Hi populi* à Baccho oriundi & nomen & ſacra ejus retinuerunt. Dicuntur enim à *thyrſo*; haſta videlicet bacchicâ pampinis involuta.

v. 142. ET EOÆ MEMORATRIX TIBIA PUGNÆ) de pugnâ Bacchi apud Indos ſuperius dixi. Tu adi & cum his Nonni Dionyſiaca. Item Horat. lib. II. Carm. Od. XIX.

v. 144. ET FLAVI CRINE SATARCHÆ) à fla-

vâ Cæſarie Satarchas Poeta commendat, quæ non parum commendationis habebat. Ælianus lib. XII. de Aſpaſiâ: ἦν δὲ καὶ τὴν κόμην ξανθὴ, καὶ οὖλη τὰς τρίχας ἠρέμα. Et de Atalantâ lib XIII. Ξανθὴ δὲ ἦν αὐτῆς ἡ κόμη, οὔτι πȣ πολυπραγμοσύνῃ γυναικείᾳ καὶ βαφαῖς ἅμα καὶ φαρμάκοις. Horatius lib I, Od. XXXII. idem de nigrâ habet, Nam & illa prædicabatur:

*Et Lycum nigris oculis, nigroq;*
*Crine decorum.*

Varro apud Nonium in Rictus. *Ante auris nodoſa ſoboles & cincinni parvuli intorti demittebantur. Oculi ſuppatuli nigellis pupillis.* Sed inquiet aliquis hoc in Italiâ, ubi meretricum capillus flavus. Sed ecce Græcum autorem de nigro crine: Ariſtænetus lib. I. Epiſtola Cyrtionis: ἐξέλαμπε γὰρ ἐκ πολλῆς τε καὶ μελαίνης κόμης λευκὸς μὲν τράχηλος. Ita veteres nigra etiam ſupercilia inter pulcherrima habebant: Ariſtenætus in Laidis ſuæ deſcriptione ὀφρύς τε μέλαινα, τὸ μέλαν ἄκρατον. Gregor. Nyſſenus lib. περὶ παρθενίας. cap. III. ἐὰν τὰ τίμια τῇ νεότητι καὶ ὅσα παρὰ τῶν ἀνοήτων σπουδάζεται κατανοήσῃ οἷον ὀφθαλμὸν τοῖς βλεφάροις λάμποντα, καὶ ὀφρῦν περικεχυμένην τῷ ὄμματι. Hac de causâ mulieres oculos ſtibio illinebant, quem morem etiam Pollux tangit lib. V. cap. XVI. Hieronymus in Epiſt. quadam ad matrem viduam. *Non benè morata mater eſt; res ſeculi cupit, amat divitias, oculos ſtibio linit.* Et in vitâ Paulæ. *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſſâ & ſtibio ſæpè depinxi.* Naumachius etiam hoc reprehendit in Gnomicis, ut matronâ honeſtâ indignum.

Μηδὲ μέλαινε τεοῖσιν ὑπὸ βλεφάροισιν ὀπωπάς
οὐ γὰρ θηλυτέροις δέμας ὤπασεν ἠμιτέλεστον
Μορφὴν, ὄφρα καὶ ἄλλα περὶ χροῒ τεχνήσαιντο.

Cyprianus de Habitu Virginum id vocat modò *oculos*

*circumducto nigrore fucare*, modo *nigro pulvere adulterare*. Confer Auguſtin. de Doctr. Chriſtianâ lib. IV. cap. XXI. & Ambroſium lib. de Virginitate c. I. Porro de Satarchis Plin. lib. IV. cap. XII. Mela lib. II. cap. I. ab initio.

v. 146. EXOMATAS VENATUS ALIT) legunt alii *Iaxomatas* quod malim, quos Stephanus ponit juxta Mœotin. Item Mela lib. I. c. 21. *Oram quæ à Boſporo ad Tanaim uſque deflectitur Mæotici incolunt, Toreatæ, Arrichi, Phicores, & oſtio fluminis proximi Iaxamathæ.* Valerium tamen *Exomatas* ſcribere voluiſſe inferius v. 569. patet.

v. 146. NEC CLARIOR ULLIS ARCTOS EQUIS) Commendat Poeta *Exomatas* & finitimos populos à re Equeſtri. Quod & Pompon. Mela facit lib. I. *Apud hos populos eaſdem artes fœminæ quas viri exercent, adeo ut ne militiâ quidem vacent. Viri pedibus inhærent, ſagittisque depugnant, illæ equeſtre prælium ineunt. Nec ferro dimicant, ſed quos laqueis intercepere trahendo conficiunt.* Laudati aliâs veteribus, præ cæteris Theſſali qui artem Equeſtrem exercuerint. Xenophon IV. Hellen. Θετταλοὶ κράτιστοι ἱππεῖς εἶναι δοκοῦντες. Idem IV. Hellen. Ageſilaum de victis Theſſalis gaviſum fuiſſe narrat: μάλα ἡδόμενος. ὅτι τοὺς μέγιστον φρονοῦντας ἐπὶ ἱππικῇ ἐνικήκει σὺν ᾧ αὐτὸς συνέλεξεν ἱππικῷ. Etiam Alexandri magni equitatus è Theſſalis maximè conſtitit autore Livio lib. IX. Theſſalus etiam erat Alexandri Bucephalus autore Plutarcho. Etiam ſecundum oraculum datum Magarenſibus, vel ut quidam Æginenſibus, equi Theſſali habiti optimi:

Γαίης μὲν πάσης τὸ πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον
Ἵπποι θεσσαλικοὶ, Λακεδαιμονίαι δὲ γυναῖκες.

Notandum tamen quod Theſſali equites conjuncti, in acie invicti & incomparabiles fuerint, disjuncti autem & ſeorſim, inutiles. Polyb. lib. IV. Θετταλῶν γὰρ ἱππεῖς

ἱππεῖς κατ' ἴλην μὲν καὶ φαλαγγηδὸν ἀνυπόστατοι, χωρὶς δὲ ἐπιπαρατάξεως, πρὸς καιρὸν καὶ τόπον κατ' ἄνδρα κινδυνεύοντες δύσχρηστοι καὶ βραδεῖς.

v.157. ET PARIBUS SPIRANS MEDEA VENENIS) hoc eſt pari arte certans in Magicis cum Medea, quæ & ipſa inſignis venefica erat.

v.160. GEMINIS ÆQUANTES CORNIBUS ALAS BALLONOTI) eſt deſcriptio aciei militaris. *Ala* enim (Græcis ἴλη, unde & dicitur, teſte Lipſio II. de Militiâ) *eſt acies.* Svidas. ἴλη σύστημα, συστροφὴ, τάξις ὄχλου ἱππικοῦ. Ala eſt Syſtema, converſio, acies multitudinis equeſtris. Heſychius etiam ἴλην exponit: ὄχλου συναναστροφὴν multitudinis collectionem. Cornua autem ſunt duæ ſummæ partes aciei, ſecundum Claudii Ælian. Tacticam, c. VII. Διαιρεῖται δὲ ἡ φάλαγξ οὕτως· εἰς μὲν ὁλοσχερῆ μέρη, δύο ἀπὸ τῆς μετώπου διχοτομίας δι' ὅλου τοῦ βάθους· ὧν τὸ μὲν ἥμισυ δεξιὸν καλεῖται, κέρας καὶ κεφαλὴ, τὸ δὲ λοιπὸν εὐώνυμον λέγεται κέρας καὶ οὐρά. id eſt: *Dividitur Phalanx in duas partes ſummas facta biſſecatione à Fronte per totam altitudinem; quarum dimidia pars altera cornu dextrum & caput vocatur; reliqua, cornu ſiniſtrum & cauda,* Confer figuram quam ad v. 147. lib. III. notavi. Iſta turma binas habet acies vel alas, & bina cornua; alterum dextrum, alterum ſiniſtrum, hoc pacto:




v. 160. COMITUMQUE GELER, MUTATOR EQUO-

Equorum Mœsus) Deſultorem Equum intellegit, qualem Cloëlio adſcribit Silius, de quo Poëta lib. X.

*Milite non illo quiſquam felicius acri*
*Inſultarat equo, vel ſi reſupina citato*
*Projectus dorſo ferret cum membra, vel idem*
*Si nudo ſtaret tergo, cum rapta volucris*
*Tranſigeret curſu ſonipes certamina campi.*

Talem etiam deſcribit Manilius lib.IV. ubi aurigæ officia enumerat.

*Nec non alterno deſultor ſidere dorſo*
*Quadrupedem, & ſtabilis poterit defigere plantas*
*Per quos vadit equos, ludet per terga volantum*
*Aut ſolo vectatus equo, nunc arma movebit.*
*Nunc licet in longo per curſus præmia circo*
*Quicquid te tali ſtudio formatur, habebit.*

Per concaquetarnatos quoq; deſultaſſe veteres Homerus canit Iliad. ο.

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν εὖ εἰδὼς
ὅς τ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρας συναείρεται ἵππους
σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄστυ διώκει
λαοφόρον καθ' ὁδὸν πολέες τέ ἑ θηήσαντο
ἀνέρες. ἡ δὲ γυναῖκες· ὁ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ
θρώσκων ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται· οἱ δὲ πέτονται.

Vetus Scholiaſtes ita habet. Δημήτριος φησί τε θεωρηκέναι τινα μεταβαίνοντα, ὡς ὁ Ποιητὴς λέγει, κατέχοντα τοὺς χαλινοὺς, καὶ ἀνεμποδίστως τηροῦντα τὸν δρόμον τῶν ἵππων καὶ ὅτι νῦν ἐν Ῥώμῃ τοῦτο γίνεται.

v.160. Comitumque Equorum) comites equos vocat junctos. Ἀμίππους rectè vocares, quos quidam deſultores interpretantur. Heſychius: ἄμιπποι δύο ἵπποι συνεζευγμένοι. Jul. Pollux lib. I. c. 10. ἄνιπποι (*indubiè legendum* ἄμιπποι) δύο εἶχον οὗτοι ἵππους, καὶ ὁ

ἕτερος προσήρτητο θατέρῳ καὶ μεμελετήκεσαν μεταπηδᾶν ἐς ἑκάτερον. ἦν δὲ αὐτοῖς τὸ σύφισμα τῶν ἀκροφυσητέροις χρῆναι πρὸς τὰ ἔργα τοῖς ἵπποις, ὅπως οὔτε μακροτέρως κατατείνειν, καὶ εἶεν αὐτοῖς ἀκοπώτεροι. Livius de Numidis equitibus lib. XXIV. *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpè pugnam in recentem equum ex feſſo armatis tranſultare mos erat: tanta velocitas ipſis, tamq; docile equorum genus eſt.* Lubet hîc addere de alio Equitum genere, qui Διμάχαι appellabantur, & pro loci oportunitate Equitum vel Peditum munere fungebantur, Jul. Pollux ἦν δέ τι καὶ ἕτερον εἶδος ἱππέων Διμάχαι, Ἀλεξάνδρου τὸ εὕρημα κουφότερον πεζοῦ ὁπλίτου καὶ βαρύτερον ἱππέως, ἔχοντες σκευὴν, ἠσκημένοι πρὸς ἄμφω καὶ τὴν ἐκ γῆς, καὶ τὴν ἀφ᾽ ἵππου μάχην. Alexandri hoc vocat inventum, quia primum his uſus Alexander in perſequendo Dario. Curtius lib. VI. *delectus Equitum VI. Millibus CCC. quos dimachas appellant adjungit. dorſo hi graviora arma portabant, cæterum equis vehebantur. Cum res locusq; poſcerent, Pedeſtris acies erat.* Hos ab ἁμίπποις Scal. junior diſtinguit in Manilio ſuo: Sed quod pace tanti Viri dixerim fallitur & fallit: Heſychius exſertè: Διμάχαι οἱ λεγόμενοι ἄμιπποι, ὅτινες ὅτε μὲν πεζῇ, ὅτε δ᾽ ἐφ᾽ ἵππων μάχονται. Harpocr. Ἄμιπποι οἱ σὺν ἵπποις στρατευόμενοι. ἔνιοι δὲ φασὶν ὅτι ζεύγνυνταί τινες πρὸς ἀλλήλους ἵπποι κέλητες, ὁ δὲ ἐλαύνων αὐτοὺς τὸν ἕτερον μὲν τι ἕλκεται, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ὀχεῖται. Vide Mauſſacum ad eundem locum. Explicatiorem etiam à nobis exſpecta in Notis, quas in eundem Autorem minamur. Non abſimiles illis etiamnum hodie ſunt equites in militia noſtra, Dragoner appellati. Bombardas enim geſtant oblongas ex humeris dependentes & equis utuntur deſultoribus, ut pro re natâ & equitum & peditum munia exſequantur.

v. 162. Ingentis Frenator Sarmata Conti) Nonius cap. XIIX. Num. 24. Conti haſtæ longiores & robuſtæ. Lamb. Hortenſius in Lucani lib. VI.

*Nunc ſude, nunc duro contraria pectora conto*
*Detrudit muris, & valli ſumma tenentes.*

Virg. V. Æn.

*Ferrataſq; ſudes, & acutos cuſpide contos*
*Expediunt ---- -- - ----*

De Sarmatis idem telum uſurpat Stat. II. Achill.

*Quo Macetæ ſua geſta citent, quo turbine contum*
*Sauromates, falcemq; Getes —*

v. 176. Nec Semineces Ostendere Crines Tempus Adhuc) Palladis Ægis vel clypeus geſtabat Gorgonis caput, quod ſerpentibus multis ceu comis ſcatebat, quos Poëta vocat ſemineces crines. Ideo de Pallade Ovid. lib. IV, Met.

*Nunc quoq; ut attonitos formidine terreat hoſtes*
*Pectore in adverſo quos fecit ſuſtinet angues.*

Maximum autem hic clypeus terrorem incutiebat; quod Poeta innuere vult cum dicit:

*---- ---- quam nec Dea laxat habendo.*

(ita enim legi malim pro *laſſat*) Hinc Domitianus eodem ſigno uti ſolebat ad ſtuporem incutiendum, quem adfectabat de ſe in vulgus concitari. Statius Papinius:

*---- ---- ſectæ prætendens colla Meduſæ*
*Ceu ſtimulis accendit equum.*

Ubi idem de ſtupore teſtatur. Quare autem à

Domitiano hoc ſignum uſurpatum, facile eſt conjicere. Arrogabat enim ſibi ipſe apud vulgum Dei, nomen ut autor Svetonius: *Pari arrogantiâ cum Procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: DOMINVS ET DEVS NOSTER SIC FIERI JVBET.* Quod non indiligenter obſervans Martialis multis locis non aliter nominat lib V. Epigr.

*Edictum Domini, Deiq; noſtri.*

Et de ejus ſtatuâ lib IX. *Poſtquam pulchra Dei Cæſaris ora geris.* Et poſtea illo defuncto ac deſignato jam Imperatore Trajano. lib. X.

*Dicturus Dominum Deumq; non ſum.*

v. 190. GRAIIQUE SEQUUNTUR MISSILIBUS) Miſſile parvam ſignificat haſtam, & qui ea utebantur ἀκοντισαὶ Græcis dicebantur. Heſychius: ἀκόντιον ἱερόντιον μικρὰ λόγχη. Jaculum, ſpiculum, miſſile, ſagittam, pilum, Latini vocant. Silius Ital, lib IX.

*At quos deinde tenet retrorſum inglorius ordo*
*Miſſilibus certant pugnas æquare ſuorum.*

Et Horat. lib. III. Carm. Od. 6.

*Penè occupatam ſeditionibus*
*Delevit urbem Dacus & Æthiops,*
*Hic claſſe formidatus, ille*
*Miſſilibus levior ſagittis.*

His qui pugnabant levis vocabantur armatura. Philo lib. I. de vita Moſis: ἅπασαν τὴν ἱππικὴν δύναμιν, παραλαβὼν, ἀκοντιστάς τε καὶ σφενδονήτας, καὶ ἱπποτοξότας καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσοι τῆς κούφης ὁπλίσεως. Svidas vocat τάξιν ἀκλεεστάτην τὸν ψιλὸν ordinem ingloriosiſſimum & Sil. d. l.

*At quos deinde tenet retrorſum inglorius ordo.*

Hiq; illi erant qui crus dimidio tegmine muniebant, ut vibrantibus ſpiculis vehementior ictus eſſet. Unde Juven. Sat. lib. II.

Qua-

*Quale decus rerum, ſi conjugis auctio fiat,*
*Balteus, & manicæ, & criſtæ, curruſq; ſiniſtri*
*Dimidium tegmen.*

Græci vocant περικνημῖδας Noſtri *Tibiale*. De his vide Doctiſſimi Arcerii notas ad Claud. Ælian. Tact. c. 2.

v. 193. SPARGENTEM VULNERA FUNDA) In omnibus veterum præliis Funditores militaſſe autor eſt Vegetius lib. I. c. 16. In bello etiam Trojano Homer. Iliad. N. v. 600.

Σφενδόνῃ ἣν ἄρα οἱ θεράπων ἔχε ποιμένι λαῶν.

ad quem verſum Euſtathius: δῆλον ὅτι καὶ σφενδονήτας εἶχεν ὁ Τρωϊκὸς πόλεμος. A frequenti & laudato fundæ uſu cumprimis celebres Baleàrides ut Vegetius dicto libro & capite autor eſt. Poſt hos Scythæ, quos hîc Valerius deſcribit. Erant enim Scythæ eidem qui Parthii. Euſtath ad Dionyſ. περιηγ. *Parthos etiam Parthyeos vocant quidam, ajuntq; gentem eſſe Scythicam atq; è fugâ coloniam tranſtuliſſe in Medos, ideoq; ita vocatos. Nam Parthos Scythæ Fugitivos nominant.* Apud Suidam item Parthi Perſica lingua Scythæ. Πάρθοι περσικῇ γλώσσῃ Σκύθαι, οὓς κατῴκισε Σέσωστρις ὁ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς ὑποτάξας Ἀσσυρίοις. Et modò citatus Dionyſ. περιηγ.

Ἀλλ᾽ ἤτοι πυλέων μὲν ὑπαὶ πόδα Κασπιάων,
Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήϊοι, ἀγκυλοτόξαι.

De Parthis ergo Suidas teſtis eſt, cum inquit: Καβδοῦχοι vel ut quidam legunt Καρδοῦχοι σφενδονῆται ἄριστοι Carduchi funditores præſtantiſſimi. Carduchos autem hos populos olim vocatos ſcribit Strabo lib. XVI.

v. 203. VIDERAT HIRCANOS PARIBUS) De populis Hircanis ita Plinius lib. VI. c. XVI. *à Caſpio ad orientem verſus, regio eſt Zapavortene dicta, & in ea fertilitatis inclyta locus Darieum mons gentes Tapyri. Anariaci, Stauri, Hyrcani à quorum littoribus idem, mare*

*Hyrcanium vocari incipit à flumine Syderi.* Reſpicit autem Poeta verſ. 79. ſuperiorem.

v. 204. PATER ARMENTO QUOS DIVES AB OMNI NUTRIERAT) Per patrem, Cyrin intelligit Titanium, quem ab armentis commendat. Olim enim Regium, non vile munus erat pecora paſcere. Varro de re Ruſt. lib. 2 cap. I. *De antiquis illuſtriſſimus quisq; paſtor erat, ut oſtendit Græca & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocant* πολυάρνας *&* πολυμήλους, *alios* πολυβούτας. *Qui etiam ipſas pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt.* Didymus ad Odyſſ. XIII. τὸ παλαιὸν καὶ οἱ τῶν βασιλέων παῖδες πυρίπολοι (*alii legunt* πυροίπολοι) ἐκαλοῦντο καὶ ἐποίμαινον. Heſiodi Scholiaſtes lib. I. τὸ παλαιὸν βασιλεῖς πολυπρέμμονες καὶ ποιμενικὸν ἔζων τὸν βίον. Confer Herodotum.

v. 227. PICTOQUE JUVANT SUBTEMINE BRACCÆ) Varro lib. IV. de veſtium generibus loquens etiam ſubteminis meminit cum inquit: *Stamen à ſtando quod eo ſtat omne in tela velamentum, ſubtemen quod ſubit ſtamini. Trama quod ſtrameat filum, genus veſtimenti denſum: denſum à dentibus pectinis quibus feritur.* Antonii ibidem hæc eſt lectio: *ſubtemen quod ſubit ſtamini: trama quod trameat filum, genus veſtimenti, denſum; à dentibus pectinis quibus feritur:* hanc autem emendationem adjuvare videtur, Servius in Virg. lib. III. Æn. ubi *auri ſubtemine*, id eſt, inquit filo, quod intra ſtamen currit, quod Perſius Sat. VI. tramam dixit:

*---- ---- ---- mihi trama figuræ*
*Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter.*

Statius Papin. lib. VII.

*Et rubet imbellis Tyrio ſubtemine thorax*

v. 232. SARMATICÆ COIERE MANUS) Sarmatæ iidem ſunt qui Sauromatæ Plinio & aliis. Plinio lib. IV. cap. XII.

v. 233. RIGET HIS MOLLI LORICA CATENÂ) Loricas olim geſtabant ſoli graviter armati, de quarum varietate vide, quæ optimè commentatus eſt Lipſius III. De Militiâ, ubi etiam ἡμιθωρακίων meminit è Polluce, quarum inventor fuerit *Iaſon*. Pollux lib. I. cap. X. Ἰάσων δὲ ὁ Θετταλὸς καὶ ἡμιθωράκια προσεξεῦρε. Hinc autem gravis armaturæ milites, qui quandoque θωρακῖται appellantur ap Polyb. lib. X. & XI. Item θωρακοφόροι apud Xenophontem παιδ. V. θωρακοφόροι βαρύτατον εἶδος τοῦ στρατεύματος. De hoc munimento Euſtath. agit ad Iliad. α. exponens unde ἐϋκνήμιδες *Græci Homero dicuntur*: ὥσπερ θώραξ ὅπλον σκέπον τὸν τοῦ ἡμετέρου σώματος θώρακα, οὕτω καὶ κνημὶς τὸ σκέπον τὰς κνήμας τῶν στρατιωτῶν ἀφ᾽ οὗ εὐκνημῖδες Ἀχαιοὶ, ἀπὸ μέρους οἱ εὔοπλοι.

v. 234. ID QUOQUE TEGMEN EQUIS AGITUR PORRECTA PER ARMA) lego *per armos*. *Porrecta* autem pro adverb. *porrectè* more Græcis uſitato ut Prima pro primo: lib. I. v. 1. *Primo Deûm magnis canimus freta pervia nautis*. Et v. 38. libr. eodem:

*Tunc juvenem tranquilla tuens*

*pro tranquillè* ---- ---

Intelligit autem equites Cataphractos, qui equos habebant pari modo munitos. Servius in Æn. XI. *Cataphracti equites dicuntur, qui & ipſi ferro muniti ſunt, & equos ſimiliter munitos habent*. Saluſtius. *Equites Cataphracti ferreâ omni ſpecie, equis paria opperimenta erant*. Apud Suidam ſcriptor quidam de Parthis: ὁπλίζουσι δὲ καὶ τὸν ἵππον ὁμοίως σιδήρῳ πάντη μέχρι τῶν ὀνύχων, διότι οὐδὲν διότι οὐδὲν αὐτοῖς ὄφελος ἂν εἴη ἰδίων ὅπλων, εἰ ὁ ἵππος αὐτοῖς προαπόλοιτο, Nazarius Panegyrico, Conſtantino dicto: *Operimento ferri, equi pariter & homines obſepti supernè omnibus tectis equorum corporibus demiſſa loricâ, & crurum tenus pendens ſine impedimento greſſus à noxa vulneris vindicabat*. verſ. ſeq. poſt Caput pone diſtinctionem.

v.236. FERT ABIES OBNIXA GENU) Sariſſas procul dubio intelligit; de quibus Svidas σάρισσα, εἶδος ἀκοντίου ἑλληνικοῦ, δόρυ μακρὸν παρὰ μακεδόσι *Sariſſa ſpecies haſtilis Græcanici, haſta longa apud Macedones.* Quas qui gerebant tibias & genu ocreis muniebant vel tibiali (Juven. vocat Dimidium tegmen ut ſupra indicavi) Polyænus lib. VI. lucem dat, inter arma quæ Philopæmon geſtare Græcos edocuit etiam hæc enumerans: ἐδίδαξε τοὺς ἀχαιοὺς ἀντὶ μὲν θυρεοῦ καὶ δόρατος ἀσπίδα, καὶ σάρισσαν λαβεῖν, κράνεσι δὲ καὶ θώραξι καὶ περικνημῖσι φράξεσθαι h.e. *docuit Græcos loco ſcuti & haſtæ clypeum ac ſariſſam geſtare, galeis verò ac loricis atq; ocreis ſe munire.* Confer Veget. lib. I. cap. XX.

v.262. SI QUIS AVEM SUMMI DEDUCAT AB ARBORE RAMI) Durum & auribus inſvave cadit, *ab arbore rami*, niſi hypallagen admittere velis; nimis inſvavem. Rectius igitur ante Carrionem lectum fuit unanimi librorum fide: *ab aëre rami.* Quam lectionem mihi confirmat locus ille apud Virg. II. Georg.

*Aut quos Oceano propior gerit India tellus*
*Extremi ſinus orbis: ubi aëra vincere ſummum*
*Arboris haut ullæ jactu potuere ſagittæ.*

Nil elegantius, nihil correctius hac lectione. Atq; eccum Scaligerum in eundem Virgil. locum lib. Poet. *Locutionem attendas. Vincere ſummum arboris aërem. Plebejus dixiſſet: Arboris cacumen.* Bene hæc ſcripſeram, cùm oblatus Maſerii Codex idem confirmavit. At Chriſtoph. Bulæus, Juvenis harum literarum non imperitus, etſi correctionem meam elegantiâ ſuâ non fraudavit, tamen illud *ab arbore rami* non aliunde niſi ab ipſo Valerio eſſe valdè pertendit, fide ſuâ recipiens, hujus generis plura non ſolùm ex Noſtro, ſed & aliis principibus poetis annotari poſſe.

v. 308. GENITOR, TURPI DURARE SENECTA QUEM MIHI RERIS ADHUC) Reſpicit verſum 122. præcedentem. Erat enim mos inter hos populos, quos Jazycas vocat, ut parentes filii trucidarent, quando vires deficiebant; nec quiſquam eorum ad ſenilem ætatem perveniebat: unde ſuperius vocavit canentis expertes ævi, & 127.

---- ---- ---- *natusq́, parensq́*
*Ambo animis ambo miſeri tam fortibus auſis.*

v. 314. ET CARUISSE SEPULCHRO) Inviſa magnoperè veteribus ea mors, quam privatio ſepulturæ ſequebatur. Hinc Valer. Max. lib. V. cap. III. *Poſt obitum nullam Atticæ regionis, quæ oſſibus ejus injiceretur, glebam invenit.* Ideo quoq; Deus paſſim apud Prophetas inter alias pænas & iræ minas, ſe immiſſurum dicit gladium, qui populum ſuum privet honore ſepulturæ. Unde lex apud Græcos neminem inſepultum linquere. Sophoclis Scholiaſtes Ἀντιγόνῃ. Οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον, καὶ μὴ ἐπαμησάμενοι κόνιν, ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν. Ælian. ποικ. ἱστ. lib. V. Νόμος καὶ ἦν Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου πάντως ἐπιβάλλειν γῆν. Quintilian. Decl. V. *Ignotis cadaveribus humum congerimus; & inſepultum quodlibet corpus nulla feſtinatio tam rapida tranſcurrit, ut non quantulocunq; veneretur aggeſtu.* Declamat. VI. *Nobis (rerum natura) adverſus exanimos genuit non ſolùm miſerationem, quæ cogitationi noſtræ ſubit, ſed etiam religionem. Inde ignotis quoq; corporibus tranſeuntium viatorum collatitia ſepultura, inde injecta ab alienis humus.* Romani hoc *Iuſta facere* mortuo appellabant, qui facere iſtud cogebantur ante novarum frugum guſtationem: ſin quis neglexiſſet, porcam præcidaneam Cereri mactabant: Feſtus lib. XIV. *Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur. Item porca, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet, id eſt, glebam non objeciſſet: quod mos erat eis*

*facere prius, quàm novas fruges guſtarent.* Atque poſt glebæ injectionem mortuus *Humatus*, at ante glebæ injectionem *Humilis* vocabatur. Cauſam vide ex notatis libri præcedentis ad v. 11.

v. 336. SUBITAM SÆVI DURAVIMUS AMNE PROGENIEM) Solebant quondam partum è matris utero prodeuntem ad flumina deferre, cùm ut abluerent, tùm ut aquę rigori adſvefacerent, ad dura ſcilicet natum. Callimachus hymno in Del.

——— ——— *ὄιδα καὶ ἄλλας*

*Λουσαμένας ἐπ' ἐμοῖο λεχωΐδας* ———

Virgilius:

---- ---- *natos ad flumina primum*

*Deferimus, rigidoq́ue gelu duramus & æſtu.*

Ennius Andromedâ apud Nonium in Lavit. *Nam ubi introducta eſt, puerumq́ue ut lavent, locant in clypeo.* Apollonius lib. II. de Tibarenis agens:

——— *ταὶ δ' αὖ κομέουσιν ἐδωδῇ*

*Ἀνέρας, ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται.*

Alii hoc modo verum natorum ortum explorabant. Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant, ſi undis abriperetur, notham cenſebant: ſi innataret, genuinam, & ſuam. Claudian. in Ruffinum:

*Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.*

Julianus in Epiſt. ad Maximum: *πάντως οὐδὲ ὁ ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτούς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει, καθάπερ ἀκολάστου καθαρεύων σπέρματος· ὑπὲρ ἄνω δὲ τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν ὥσπερ ἀδέκαστόν τινα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαρῶν καὶ ἀμέμπτων γάμων τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος.* Meminit & Galenus de ſanitate tuendâ: Et Gregorius Nazianzenus de Celtis in Epigr.

*ὡς νόθον εὐγενέως Ῥῆνος κελάδων ῥεέθροις.*

Hinc

Hinc & ἐλεγχίγαμος Rhenus in Epigr. dictus lib. Anthol. & à Nonno in Dionyſiacis. Meminit etiam hujus rei Ariſtoteles lib. VII. Polit. c. 7. Et Proverbium vide apud Apoſtolium ὁ ῥῆνος ἐλέγχει. Lipſius etiam in notis ad Tacitũ Rheni etymon hinc petendum exiſtimat, quaſi purgatoris & vindicis conjugiorum. Purus enim ſermone noſtro dicitur Reyn. Plura vide ad Nonni Dionyſ. lib. XLVI. Gerard. Falkenb. Noviomag. ad p. 477.

v. 340. Ædoniis Nutritum Missile Ventis) lego *Ædonis*. Venti enim *Ædoni* vel *Ædonii* (apud Græcos in medio eſt. ω. mega) ſunt illi, qui in Thracia flant mari Ægæo infeſti. Virg. XII. Æneid.

*Ac velut Ædoni Boreæ quùm Spiritus alto*
*Inſonat Ægæo* ---- ---- ----

Ad eundem modum Statius dixit: *Edonas hyemes* pro frigore acerrimo, quale eſt in finibus Thraciæ. *Nutritum autem ventis* tale telum intelligit, quod medicatum eſt, ut cujus mentis vento duratis ita præparatur, ut alicui inflictum nullum admittat medicamentum, qualia etiamnum hodie Sicarii parare norunt. Cæterum *Ædonis* legendum conſtanter adfirmo. Video enim eundem errorem & in aliis Poëtis. Certè Servius ad v. 365. lib. XII. Æn. eo nomine Donatum corrigit, *quòd dicat Edonii legendum, ut Do brevis ſit.* Claud. I. Stil.

---- *quoties ſub pellibus egit*
*Ædonias hyemes*, ubi M. Scripta & Veneta editio rectius *Ædonias*.

v. 349. Septeno Validam Circumfert Tegmine Molem) Clypeum intelligit ex ordinibus ſeptem pellium bovinarum complicatum. Ita Ovidius Ajacis clypeum deſcribit:

*Surgit ad hos clypei Dominus ſeptemplicis Aiax.*

Noſter

Noſter infra v.367.

*Ille iterum in clypei ſeptemplicis improbus orbem*
*Arietat.*

v.358. UT BOVIS EXUVIAS MULTO QUI FRANGERE OLIVO ) Olim athletæ oleo ſe ungebant. Unde Virg. Æn.V.

*Cætera populeâ velatur fronde juvento*
*Nudatosq; humeros oleo perfuſa niteſcit.*

Ovidius in Epiſt. Paridis ad Helenam nitidam vocat palæſtram.

*More tuæ gentis nitidâ dum nuda palæſtra*
*Ludis* ---- ---- ----

Unctos etiam cæſtus, ut ad palæſtram aptiores eſſent, ex his Valerii verbis videre eſt. Duri enim erant & alias intractabiles. Virgil. Æn.V.

*In medium geminos immani pondere cæſtus*
*Projecit, quibus acer Eryx in prælia ſuetus*
*Ferre manum, duroq; intendere brahia tergo.*

Vide quæ ad v,250. lib.IV. notavi, unde huic loco lux non exigua,

v.375. INDE THŒN QUA PELTA VACAT ) Pelta parvus eſt clypeolus. Svidas. πέλτη, μικρά τις ἐστὶν ἀσπιδίσκη, καὶ κούφη. Et Iſidorus: Pelta, ſcutum breviſſimum. Item Gloſſæ antiquæ πελτάριον parmula & πελταστὴς parmularius. Revera tamen parma à pelta diverſa fuit. Probus in vitâ Iphycratis: *Cum ante illum Imperatorem Græci maximis clypeis, brevibusq; haſtis, minutis gladiis uterentur, ille è contrario Peltam pro parmâ fecit, à quo poſteà Peltaſtæ pedites appellati, ut eſſent ad motus concurſusq; leviores.* Livius, qui peltas gerebant, non tantum Peltaſtas ſed & Cetratos, appellat lib.XXXI. *Nocte cetratos, quos Peltaſtas vocant, in inſidiis*

*diis abdiderat.* Cetratos autem ideo, quia ut ait idem lib. XXIIX. Pelta cetræ haut diſſimilis eſt.

v. 387. Falcatos Infert Ariasmenus Axes) falcatos currus intelligit, de quibus ſupra v. 105.

*Vndiq; falcatos deſerta per æquora currus*
*Inſequitur Drangæa phalanx*

v. 390. Qualiter Exosus Pyrrhæ Genus) Diluvium tangit celebre illud, quod ſub Deucalione accidit, & ab Ovidio deſcribitur lib. I. Metam. fab. IX. & Decimâ.

*Nec cœlo contenta ſuo Jovis ira, ſed illum*
*Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis,*
*Convocat hic amnes: qui poſtquā tecta tyranni*
*Intravere ſui: non eſt hortamine longo*
*Nunc, ait, utendum: vires effundite veſtras.*

Horatius de eodem lib. I. Carm. Od. 2.

*Terruit gentes grave ne rediret*
*Seculum Pyrrhæ, nova monſtra queſtæ*
*Omne cum Protheus pecus egit altos*
*Viſere montes:*

Diluvium hoc quartum fuit ſi Xenophonti credimus; qui in libro de Æquivocis quinq; enumerat: *Primum* trimeſtrem ſub Ogyge priſco; *ſecundum* Niliacum menſtruum ſub Hercule & Prometheo Ægyptiis: *tertium* bimeſtrem in Achajâ: *quartum* Theſſalicum trimeſtrem ſub Deucalione: *quintum* etiam trimeſtrem ſub Proteo Ægyptio, qui Paridi Helenam eripuit. Nonno in hoc cum Xenoph. non convenit qui Dionyſiac. lib. III. tres κατακλισμοὺς enumerat, cui ſuffragatur etiam Iſidorus Orig lib. XIII. cap. 22.

v. 403. Tisiphone Regesque Movet) In antiquioribus ſcriptoribus Imperator Romanus ſub-

ſubinde Rex appellatur, quod Barthius in adverſariis cum cura notat. Et hic Valerium Noſtrum habet ſuffragantem.

v. 403. QUORUM AGMINA PILIS) pilum, parva erat haſta ſeu ſagitta, de qua ante ad v. 190. dixi. Deſcribit autem hac allegata comparatione civilia Romanorum bella. Cum enim bonam orbis partem imperio cepiſſent, mole ſuâ quodammodo laborarunt, & vires in ſua viſcera verterunt. Quod Lucanus tangit:

---.- ----- *populumq; potentem*
*In ſua victrici converſum viſcera dextrâ.*

August de Civit. Dei XIIX. cap. XLV. *Tunc jam Roma ſubjugaverat Africam; ſubjugaverat Græciam, lateq; etiam aliis orbis partibus imperans tanquam ſe ipſam ferre non valens, ſe ſuâ quodammodo magnitudine fregerat.* Et quæ ſequuntur. Totus Poetæ locus ex illo Lucani intelligetur, ubi porrò canit.

---- ---- *infeſtisq; obvia ſignis*
*Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.*

Et ex illo Sil. lib IIX.

*Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo*
*Nec mos pēnigeris pharetrā impleviſſe ſagittis*
*Pila volunt, brevibusq; habiles mucronibus enſes.*

Pilum enim, haſta breviſſima eſt, cujus deſcriptionem habes apud Polyb. Megapol. Hiſt. c. 6. editione Caſauboni. Ab eo *Milites Pilani* dicti. Ovid. I. Faſt. ——totidem PILANUS habebat. Et PILATA COHORS apud Mart. lib. X. Ep. 48.

v. 404. QUORUM AQUILIS UTRINQ; MICANT) Romanorum Imperatorum inſigne eſt *Aquila*, quam primo Romanis legionibus C. Marius in ſecundo conſulatu ſuo propriam dicavit: Plinius lib. X. c. IV. Hinc

Deus

Deus πανολεθρίαν Judæis nuncians, Aquilam illis minatur, h.e. exercitum Veſpaſiani, Imperatoris Romani Deut. c. XXIIX. v. 49, *Deus populum ſuper te congregabit è longinquo, è finibus Terræ, ſicut Aquilam volantem.* Et illata primùm hæc in Judæam Anno XIII. Neronis: in vexillis Romanorum depicta, primumq; in terra ſancta conſpecta eſt abominatio, de qua Chriſtus prædixit, deſolationem futuram prætendens. Erat etiam hoc Perſarum Regum inſigne. Xenoph. exped. Cyri lib. I. Καὶ τὸ βασίλειον σημεῖον ὁρᾶν ἔφασαν, ἀετόν τινα χρυσοῦν ἐπὶ πέλτης. Et plerumq; in heroum clypeis olim videre erat *Aquilas*. Inde Ariſtoph. Ranis:

———— ———— ἢ ἀσπίδων ἐπόνυχας

Γρυπαιέτους χαλκηλάτας.

Scholiaſtes ibidem: εἰώθασι γὰρ ζωγραφεῖν εἰς τὰς ἀσπίδας αἰετούς. Euripides Μελεάγρῳ,

Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι

Πρόβλημα θηρὸς &c.

Philoſtratus ſenior εἰκόνων lib. 2. καὶ τὸ σημεῖον τὸ βασίλειον ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τῆς πέλτης ἀετός.

v. 420. Umbro edaci) id eſt, cani ex Umbriâ Italicæ regione oriundo. Umbor enim dicitur canis venaticus ejus regionis. Senſus ergo eſt: Cæduntur Ariaſmeni equites & milites impediti, ut corvi cornuorum altitudine præpediti, quos venatores non opus habent canibus fallere, aut pinnis. Sunt autē pinnæ quaſi avium pennæ in funibus venatoriis ſeu retibus ſuſpenſæ ad terrendas feras. Seneca Hippol.

*Picta rubenti linea pinnâ*

*Vano claudit terrore feras.*

v. 434. Cuius flammiferos videt inter regia tauros) De tauris ignivomis ſcribit, quibus ærei fuerint pedes in aulâ Æetæ, quoſq; Æetes contra Minyas in bello emiſerit. De his Apollonius lib. III. v. 1282.

Παπτήνας δ' ἀνὰ νειὸν ἴδε ζυγὰ χάλκεα ταύρων
Αὐτόγυόν τ' ἐπὶ τοῖς στιβαροῦ ἀδάμαντος ἄροτρον.
Χρίμψε δ' ἔπειτα κιών· παρὰ δ' ὄβριμον ἔγχος ἔπηξεν
Ὀρθὸν ἐπ' οὐριάχῳ, κυνέην δ' ἀποκάτθε τ' ἐρείσας
Βῆ δ' αὐτῇ προτέρωσε σὺν ἀσπίδι νήριτα ταύρων
Ἴχνια μαστεύων· οἱ δ' ἔκ ποθεν ἀφράστοιο
Κευθμῶνος χθονίου, ἵνα τε σφίσιν ἔσκε βόαυλα
Καρτερὰ λιγνυόεντι πέριξ εἰλυμένα καπνῷ
Ἄμφω ὁμοῦ προγένοντο πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες

Cæterum obſervandum hîc venit: Valerium longè alium obſervare ordinem ab Apollonio. Quando enim Noſter hoc libro, primitus deſcribit bellum Minyarum cum Perſe & poſtmodum Junonis apud Venerem de Jaſone interceſſionem, unde Medea Junonis aſtu, ſub perſonâ Chalciopes ſororis tentata, amore Jaſonis exarſerit, viamq; ipſi ad obtinendum vellus aureum aperuerit: Apollonius primò Junonem introducit, cum Pallade ſuper Jaſonis auxilio conſultantem, veneriſq; artes ad decipiendam Medeam accerſentem. Poſteà demum poſt Jaſonis apud Æetam ſollicitationem acceptamq; repulſam de aureo vellere; quomodo Jaſon Medeæ auxilio ad bellum ſe præpararit Tauroſq; domuerit ignivomos prolixiùs enarrat.

v. 442. ET AVI STUPET ORBITA SOLIS) Solem, Medeæ avum dicit: Æetes enim ex communi opinione Colchorum rex, & filius Solis fuiſſe traditur, de quo ſuperius plura. Noſter de Æete lib. V. v. 456.

*Cum ſe Sole ſatus patriis penetralibus infert*
*Filius hunc juxta primis Abſyrtus in annis*
*Dignus avo, quemq; inſontẽ meliora manerent.*

v. 444. RECOLIT FESSOS ÆTATE PARENTES) Arte Medea Magicâ Senibus juvenilem reddebat ætatem, quod de Æſone Jaſonis patre Ovidius

narrat

narrat lib. VII, Fab 3, Fulgentius lib. 2. Mythol. ſcribit: *Medea ejus naturæ florem invenit, qui capillos albos nigroſq; faciendi poteſtatem habebat, quo omnibus à canicie liberari volentibus capillos nigros apparere fecit. Invenit quoq; prima lavacri cujuſdam calidi uſum, vim medicam habentis, quo volentibus omnibus medebatur, atque hæc non quidem in publico ſed clam agebat, ne quis medicorum talia addiſceret. Hæc verò compoſitio quâ utebatur* παροψὶς *dicebatur. Quicunq; igitur hac paropſi utebantur agiliores prorſus ſanioreſq; fiebant. Ex hoc Medeæ præparationem hanc quicunq; videbant, lebetem ſcilic. lignum, homines elixando à Medeâ æqui exiſtimabant.*

v.447. QUAMVIS ATHRACIO LUNAM SPUMARE VENENO) Ad Lunæ lumen lectas herbas efficaciores veneficiis credebant: quod Lunam veneficiis præeſſe cenſerent, & herbas ſuâ quadam Spumâ & salivâ inficere: Lucanus lib. VI.

*Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.*

Et Noſter eodem modo lib. IIX.

*Contra Tartareis Colchis ſpumare venenis.*

Confer lib. IIX. v.83.

v.480. FULSIT AB INVITA NUMEN PROCUL) Significat Poëta etiamſi Juno in decipienda Medea, habitum Deæ diſſimulaverit: ab invitâ tamen lumen aliquod divinum effulſiſſe, quod Chalciopen veram non decuerit. Cæterum cum à Noſtro hæc Junoni adſcribuntur, Apollonius nullo Poëtici ornatûs habito reſpectu, ſimpliciter rem exponit, & Chalciopen ſororem Medeæ loquentem introducit: quo nomine à Noſtro iterum vincitur. vide lib. III. v.449.

χαλκιόπη δὲ χόλον πεφυλαγμένη αἰήταο,
Καρπαλίμως θαλαμόνδε σὺν υἱάσιν οἷσι βεβήκει.
Ἄυτως δ' αὖ μήδεια μετάστιχε· πολλὰ δὲ θυμῷ
Ὅρμαιν', ὅσσα τ' ἔρωτες ἐποτρύνουσι μέλεσθαι.
Προπρὸ δ' ἄρ ὀφθαλμῶν ἔτι οἱ ἰνδάλλετο πάντα &c.

v. 494. FUSCIS ETIAM NOTUS IMMINET ALIS) Ventum Auſtrum intelligit, cujus aura calidâ & æſtuoſâ ſtatim langueſcunt flores pulcherrimi. Stat. lib. III, Sylv. III.

*Pubentesq; roſæ primos moriuntur ad Auſtros.*

v. 495. HANC RESIDENS ALTIS HECATE PERSEIA LUCIS FLEBAT) Cui ſcilicet Medea ſacrificare ſolebat, utpote Magiſtræ artis veneficiæ, unde hanc vocat famulam v. 502. Lucem adfert lib. V. v. 397.

*---- patriumq; viam detorquet ad amnem*
*Sacraq; terrificæ ſupplex movet irrita nocti.*

Perſejam autem vocat, quia Hecate juxta communem opinionem fuit filia Perſei, unde ab Apollon. & Ovid. lib. VII. vocata eſt Perſeïs. Confer ſuperiora.

v. 513. EADEM REDEUNT MOX GAUDIA VICTIS) Ex illo Virgilii eſt:

*Quondã etiam victis redit in præcordia Virtus.*

v. 525. SQUALENTESQUE ÆRE LACERTOS BARBARICÂ CHLAMYS ARCET ACU) Chlamydem intelligit, quæ ἐφαπτὶς Græcis: Pollux lib. IV. ἐφαπτὶς συῤῥεμμάτιόν τι φοινικοῦν, ἢ πορφυροῦν, ὃ περὶ τὴν χεῖρα εἶχον οἱ πολεμοῦντες, ἢ θηρῶντες. Athenæus in V. de Equitib. Antioch. πάντες δὲ οἱ προειρημένοι εἶχον πορφυρᾶς ἐφαπτίδας, πολλοὶ δὲ καὶ διαχρύσους καὶ ζωωτάς. Eratque hic habitus Ducum & Magnatum in bello, & quantum conjicere eſt, vetus ille Romanorum Gabinus. Sic enim Perſii interpres vetus, Satyr. V. Gabino habitu cinctuq; Dii Penates formabantur, ob voluti togâ circà humerum ſiniſtrum, dextro nudo. Unde Virg. lib. VII.

*Ipſe Quirinali trabeâ cinctuq; Gabino*
*Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul.*

Corippus lib. IV.

Cen-

*Cenſuramq́; piam ſervans gravitate reſedit*
*Cæſareos augens habitus, ritusq́; Gabinos.*

Etiam Exercitus cinctus hoc habitu, quantum ex Feſto colligere eſt, & Procincta claſſis vocabatur. Feſtus: *Procincta claſſis appellabatur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confeſtim pugnaturus.* Diſcolorem etiam hanc legionem vocat Claudian. IV. Conſol. Honorii,

*Patritios ſumant habitus, & more Gabino*
*Diſcolor incedat Legio.* ---- ---- ----

Vide quæ de hoc habitu notavimus ad v. 118. lib. III.

v. 530. Pariterque Inglorius Armis) Erant in veterum militiâ aliqui non pugnantes, ſed ad uſum reliquorum, militiam ſectantes: Græcis σκευοφόροι dicti, quod ſarcinas aliaq́; impedimenta ferrent, quales poſteà Romanis fuere Calones ſui & Caculæ. Multi etiam vilioris quæſtûs gratiâ ſequebantur, puta lavandi; coquendi. &c. Illi, cum reliqui milites in acie ſtabant; diſcurrebant & ſtabula, pecudeſq́; depopulabantur. Unde à noſtro *Inglorii* dicuntur. Et fallor: vel inglorius Orbis vel Ordo ſcribere voluit pro *Inglorius armis*, procul dubio illud Statii ob oculos habens, lib. IX.

*At quos deinde tenet retrorſum inglorius ordo*
*Miſſilibus certant pugnas æquare ſuorum.*

Suidas πέζιν vocat ἀγωνισμένην. item ψιλούς. ψιλοὶ οἱ μὴ καθωπλισμένοι ἀλλ' ἐν καιρῷ δὲ τῆς μάχης τῷ παρατυχόντι, ἢ λίθῳ, ἢ ξύλῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ ὀργάνῳ χρώμενοι. De his vide Claud. Æliani Tacticam cap. II.

v. 570. Nec Cara Neſtoris Hastæ Immoritur Primævus Helix) Helix è Tyronibus militum erat, ideoq; primævum vocat. Illi enim decimo ſexto anno militabant. Virg. Æn. VII.

*Ante urbem pueri, & primævo flore Juventus*
*Excerentur equis* ---- ---- ----

Iſidorus: Tyrones dicti, qui antequam ſacramento probati ſint milites non ſunt: Romanæ autem militiæ mos fuit puberes primo exerceri armis. Nam decimo ſexto anno Tyrones militabant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant.

v. 570. NEC CARA PARENTI NUTRIMENTA DEDIT, BREVIBUS PRÆREPTUS IN ANNIS) Eodem modo Homerus Iliad. IV. de Simoiſio ſcribit:

——— ——— οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
ἔπλετ᾽.

Lege enim Solonis liberi parentibus amiciſq; à quibus educati eſſent educationis præmium reddere cogebantur, quod qui facere renuiſſet, illi pœnam divinam & miſerum vitæ exitum paratum eſſe credebant. Quintilianus Declam. VI. *Vultis ſcire quantus nomini noſtro debeatur adfectus? quanta veneratio? Non eſt beneficium, quod paſcitis: ſed facinus, quod negatis: LIBERI PARENTES ALANT. Pudet ſacrorum Nominum, pudet religionis humanæ. Hac ergo lex erit?* Hinc Græcis hæc educationis præmia θρέπτρα, τροφεῖα nuncupata. Heſiodus ἔργων lib. I.

——— ——— οὐδὲ μὲν οἵ γε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν.

Scholiaſtes οἱ παλαιοὶ τοῖς γονεῦσιν ἐδίδουν τὰ θρέπτρα. Menander Dardano, citante Theone in Progymn.

ἀρθεὶς πένητος ὑιὸς ἐκτεθραμμένος
οὐκ ἐξ ὑπαρχόντων ὁρῶν ἠσχύνετο
τὸν πατέρα μικρ᾽ ἔχοντα᾽ παιδευθεὶς γὰρ εὖ
τὸν καρπὸν εὐθὺ ἀπεδίδου χάριτος καλόν.

Phalaris in Epiſtolâ ad Lacritum: Νομίσας οὖν ἀξίως παρ᾽ αὐτοῦ χάριτας ἀπειληφέναι γενέσεως καὶ ἀνατροφῆς, τὸ καλὸν κἀγαθὸν μέχρι τέλους αὐτὸν γεγονέναι. Eximebantur tamen ab hac lege ſpurii, & qui incuriâ parentum ar-

tem non didiciſſent, quâ vitam tolerarent, ut Plutarchus & Syneſius docent.

v. 534. Facie Defixerat Hostes) Defixerat eſt quaſi faſcinaverat, qua ratione Noſter inferius lib. VII. v. 82. dixit:

---- --- *& mœſtâ ſtabat defixus in irâ.*

Et eodem libro.

*Carmina nunc totos ſolvit figitq́ per artus*

*Æſonidæ.* —— Apulejus de Herbis c. IIX.

*Si quis devotatus defixusq́ fuerit in ſuis Nuptiis, ſic eum reſolvas.* Alio verbo hoc dicebant *devotare* h. e. diris devovere. Unde ipſi incantati *Devoti* dicebantur.

v. 577. Densâ In Caligine Reges Agnoscit) Duces belli olim Reges nuncupabantur. Noſter v. 404.

*Romanas veluti ſæviſſima cum legiones*
*Tiſiphone Regesq́ movet, quorum agmina pilis*
*Quorum Aquilis utrimq́ micant.*

v. 608. Ab Jove Fatales Ad Regna Injusta Cometæ) Ab Jove, frequens ſcriptio apud Autores: Virgil. Bucolicis.

*Ab Jove principiũ Muſæ, Jovis omnia plena.*

& Æneide:

---- ---- *Et mi genus ab Jove ſummo.*

Calpurnius Eclog 4.

*Ab Jove principiũ ſi quis canat æthera ſumat.*

Græci ἐκ διὸς: Aratus ſua phænomena ordiens:

ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα.

Cæterum quod Poëta dicit Cometas ad regna injuſta à Jove irato vocari, vide ut ad illud lib. V. v. 259. conveniat:

*Interea augurijs monſtriſq́ minacibus urbem*
*Territat ante monens ſemper Deus, & data*
*Signa mali.*

Quotieſcunq; enim Deus regna bello concutere, aut gentem aliquam evertere, vel aliud inſigne malum immittere decrevit, hoc prænuncio iram ſuam terræ prædicat. Adeò ut in veriverbium jam abierit:

----- *nunquam ſpectatum impunè Cometam*.

Conſideres ſis illum, qui per totum annum ſupra Diam Hieroſolymarum urbem verticalis fuit. Immo vel unicum illum qui anno Chriſti cIↄ Iↄc CXIIX. Germaniæ iram Dei minatus eſt. Vah quantas turbas, quantas florentiſſimarum Rerumpublicarum everſiones dedit! O mea Germania, quantum mutata à priſtino illo ſtatu! O verbum nunquam de te ſcribendum! Non ergo vana ſuperioris dominii æthereæque aulæ portenta ſunt. Nec ſine inſigni memorabilique eventu Superiorum Planetarum conventus (qualis præcedentibus annis in Leone fuit) unquam exſtitiſſe teſtes ſunt harum rerum obſervatores. Quid etiam totalis Solis Eclipſis anno futuro cIↄ Iↄc XXX. portendet (qui & ipſe, annus Mundi Jubilæus CXL. erit) experientur, qui tum vivent:

v. 621. AT GENITUS JOVE COMPLERAT SUA FATA COLAXES) Jupiter hunc progenuerat in Scythiâ, de quo Poeta ſuperius egit v. 48.

*Proxima Biſaltæ regio, ductorq́ Colaxes*
*Sanguis & ipſe Deûm, Scythicis quem Jupiter oris*
*Progenuit, viridem Miracen, Tibiſenaq́ juxta*
*Oſtia, ſemifero (dignum ſi credere) captus*
*Corpore, nec Nymphæ geminos exhorruit angues.*

v. 648 SAXUMQUE PREHENSUM ILLIUS ET DEXTRÆ GESTAMEN ET ILLIUS ÆVI) Saxis etiam veteres pugnabant quod ſuperius indicavi. Lucem dat illud Ovidii Metam. XII.

—pavet

*---- ---- . pavor occupat illum*
*Ante oculosq; natant tenebræ, retroq; ferentè*
*Averſus paſſus medio lapis obſtitit armo*
*Quem ſuper impulſum reſupino corpore cycnū*
*Vi multâ vertit, terræq; adflixit Achilles.*

Juvenal. Sat. XV.
*Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis*
*Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione,*
*Tela: nec hunc lapidem, quales & Turnus & Ajax*
*Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam*
*Æneæ: ſed quem valeant emittere dextræ*
*Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ*
*Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homerō.*

Virgilius Æn. XII.
*---- ---- ſaxum circumſpicit ingens*
*Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat,*
*Limes agri poſitus, litem ut diſcerneret arvis*
*Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,*

Hinc Agathii Scholaſtici de ſaxo Ajacis Epigramma, quo ille Hectorem percuſſerat lib. Floril. II.

Μή με τὸν Αἰάντειον ἀνοχμάσσειας ὁδῖτα
Πέτρον ἀκοντιστὴν στήθεος ἑκτορέου.
Εἰμὶ μέλας, τεχνῦσα τε· σὺ δ' εἴρεο θεῖον Ὅμηρον
Πῶς τὸν Πελαμίδην ἐξεκύλισα πέδῳ
Νῦν δὲ μόλις βαιόν με παρεγκλίζουσιν ἀρούρης
Ἄνθρωποι φυσικῆς ἄλγεα λευγαλέης.
Ἀλλά με τὶς κρύψειεν ἐπὶ χθονός· αἰδέομαι γὰρ
Παίγνιον, ἐ πολλοῖς ἀνθρώποισι γιγνόμενος.

Verſionem noſtram habes in Laurifoliis.

v. 657. AT REGINA VIRUM PERSEQUITUR LUSTRANS, OCULISQUE ARDENTIBUS HÆRET) Graphycè depingit mores amantium, quorum ſenſus omnes in rei amatæ corpus ſolent exulare. Nonnus de Jove amante Semelen lib. VII.

Καὶ Διὸς αἰθερίοιο νόος, μετανάστιος ἕρπων
Νηχομένη Σεμέλη συνενήχετο.

Idem de Morrheo Chalcomeden lib. XXXIII.

Αἰεὶ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα, πόθου δεδονημένος ἰῷ
Παρθένος ἦχι βέβηκε, δυσίμερος ἤϊε Μορρεύς.

Præcipuè oculi ſemper eò intenti. Unde vetus proverbium ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν Muſæus:

Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν, ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.

Philemon:

ὁρῶσι πάντες πρῶτον, εἶτ' εἰς ἐθαύμασαν
εἶτ' ἐπεθεώρησαν, εἶτ' εἰς ἐλπίδ' ἐνέπεσαν
οὕτω γίνεται ἐκ τούτων ἔρως.

Propertius lib. I. Eleg. I.

*Cynthia prima ſuis miſerum me cœpit ocellis*
*Contactum nullis ante cupidinibus.*

Ariſtenætus lib. II. Διὰ τῶν ὀμμάτων ἐρωτικῶς διεθερμάνθη. Eleganter Philoſtratus de oculis. ὦ καλοὶ δᾳδοῦχοι ἔρωτος, πρῶτοι μὲν ὑμῖν τὸ κάλλος ἐπυρσεύσατε. Hinc Curtius de Roxane lib. IIX. quæ quanquam inter electas proceſſerat, omnium tamen oculos convertit in ſe. Lucianus Imaginibus: εἰ δὲ κἀκείνη προσβλέψει δέ τις, ἔσται μηχανὴ ἀποστῆναι αὐτῆς, ἀπάξει γάρ σε ἀναδησαμένη ἔνθα μὲν ἐθέλῃ ὅπως καὶ ἡ λίθος ἡ Ἡρακλεία δρᾷ τὸν σίδηρον. Hinc viſus prima amoris linea. Æl. Donatus Eunuch. Act. IV. Scen, II. *Quinque lineæ perfectæ ſunt ad amorem: prima viſus, ſecunda loqui, tertia tactus, quarta oſculari, quinta coitus.* Et hinc vulgares nî fallor circumferuntur verſus, quibus idem comprehenditur,

quos

quos tamen ne in hâc re nimius ſim non adſcribam.

v. 670. QUAQUE DEDIT TENEROS AURUM FURIALE PER ARTUS) reſpicit verſ. lib. hujus 470.

*Tum vero optatis potitur, nec paſſa precari*
*Vlterius, dedit acre decus, fœcundaq; monſtris*
*Cingula, non pietas quibus aut cuſtodia famæ &c.*

v. 677. AUT BELLI QUANTUM JAM RESTAT ACERBI) Nihil amantibus gravius in amore, quam longæ moræ, quibus etiam una hora totus eſt dies. Conſule ſuper hoc amorum Triumviros Cat. Tibull. Propert. It. Ovidium & alios.

v. 688. ET PRIMO DOMUS IMPERFECTA CUBILI) Olim qui uxorem duxerant prolis ſuſcipiendæ, domum ædificabant: cum verò fato functi eſſent præmaturè, & ſine prole; imperfectam dicebantur relinquere domum. Inde Apulejum intellego cum dicit: *Decumo jam partu viri fundavit familiam.* Afranius in Privigno etiam mulierem Firmamentum appellat ſimili modo:

*Uxorem quæris firmamentum familiæ,*
*Scias abeſſe ab ijs luſtris ingenium procul.*

Exq; hoc natum credo illud Heſiod. 2. ἔργ.

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε.

Nam & apud Theocritum quæ à Satyriſco mulier efficitur & loco uxoris habenda eſt, eum interrogat, domúmne ſibi ſit ædificaturus, idq; ipſi pollicetur:

Τεύχεις *inquit* θαλάμους τεύχεις καὶ δῶμα καὶ αὐλάς.

Reſpondet τεύχω σοι θαλάμους. Ita è contra apud Homerum cum Proteſilaus ad Ilium uxore ducta profectus & anno nondum vertente interfectus eſſet, καὶ δόμος ἡμιτελὴς à Poeta vocatur quæ à Noſtro *Imperfecta.*

v.698. NUNC FUGA CONVERSAS SPARGIT MENTITA SAGITTAS) Significat Poeta Miracen in ipſa fugâ ſagittas in inſequentem hoſtem retorſiſſe. Ejus enim agilitatis Toxotæ erant ut equis hærentes & fugientes nihilominus tela in hoſtem mitterent; quæ etiam dexteritas in hunc uſq; diem ab Indis reliquisq; populis τοξοφόροισι uſurpata laudatur.

v.699. AT VIRIDEM GEMMIS) Tiara geſtamen erat propriè Perſarum. D.Hieron.in Daniel.c.5. *Tiara genus eſt pileoli, quo Perſarum Chaldæorumq; gens utitur.* Quæ à Mitrâ diſcernebatur. Nam Max.Tyrius Serm.X. *Mitrophorum à Tiarophoro* diſtinguit. Ea autem gemmis & Margaritis ornabatur ut ex hoc Noſtri patet, & Dimidiatæ Lunæ effigiem repræſentabat. Sidon.Apoll.Carm.II.v.51.

*Interea te Suſa tremunt, ac ſupplice vultu*
*Flectit Achemenius lunatam Perſa Tiaram.*

Idem Carm.XXIII.v.255.

*Lunatam tibi flecteret Tiaram.*

v.704. PERQUE LEVEM ET MULTO MACULATAM MURICE TYGRIN) id eſt per pellem qua indutus erat, quæq; è Tygride erat: Conſvetum enim erat priſcis heroibus ut pellem geſtarent. Scholiaſtes Apollonii lib.I. Συνηθὲς τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. Ita Apollonius de Argo:

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφέχετ' ὤμους
Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν.

Et paulo ante de Augæo ſect. 10.

Βῆ δ' ὅγε Μαιναλίης ἄρκτου δέρος &c.

Theocritus Διοσκούροις:

αὐτὰρ ὑπὲρ νώτοιο καὶ αὐχένος ᾐωρεῖτο
ἄκρων δέρμα λέοντος ἀφημμένον ἐκ ποδεώνων.

Virgil. Æn. V. de Aceſte.

---- ---- occurrit Aceſtes
Horridus in jaculis & pelle Libyſtidos urſæ.

Et lib. VII. de Aventino:

Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis.

Et lib. IX.

Dat Niſo Mneſtheus pellem horrentisq; Leonis
Exuvias.

Illis etiam ſtratis pro lecto utebantur veteres: Juven. Sat. VI.

Silveſtrem montana thorum cum ſterneret uxor
Frondibus, & culmo, vicinarumq; ferarum
Pellibus.

Tendebanturq; funibus ita ut penſiles eſſent Lucil. lib. XI. apud Nonium:

Hic ubi conceſſum, pellesq; ut in ordine tentæ.

v. 708. Sanguine Tunc Atro Clavis Ignea) lege chlamys, quæ veſtis eſt militaris, de qua quid ſuperius dixerim confer. Fiet operæ precium. Scripſeram hæc, cum in Editionem Maſerii incidi, qui hoc ante me ita emendavit. legendo Chlamys ubi Noſter Clavis.

v. 709. Et Gravidæ Maduere Comæ Quas Flore Sabæo) Capillos olim Friſci unguento habebant delibutos ut ſuperius docui. Unde Horat. lib. II. Carm. Od. XI.

Cur non ſub alta vel platano, vel hâc
Pinu jacentes ſic temerè, & roſâ
Canos odorati capillos
Dum licet &c.

Quod autem Poeta ſeq. verſ. dicit:

---- ---- liquidoq; parens ſignæverat auro

Forſan ſignificare eo voluit aureos funiculos, quos capillo

capillo innectere ſolebant. Quem morem Ovidius tangit lib. XII. Met.

*Barba erat incipiens, barbæ color aureus aureaque*
*Ex humeris medios coma depēdebat in armos,*

Coluthus etiam de Baccho.

χρυσείοις δ' ἑκάτερθε τιναστόμενος πλοκάμοισι.

Juvenal. Satyr. II.

*Reticulumq́; comis auratum ingentibus implet.*

Petronius :

*Fundunt colla roſas, & cedit crinibus aurum.*

v. 750. SOLISQUE JUVANT CLAMORIBUS AGMEN) Ordines apud priſcos in militia erant, qui clamore pugnabant, hoc modo terrorem incutientes militibus quod & ſuperius attigi. Tales hodienum ſunt illi, quos in noſtra militiâ vocant Dragoner, qui primi in acie horribili terrore campos implent; & vel hoc ſolo plurimos enecant.

v. 759. SEMPER INEXPLETIS AGNOSCIT JASONA CURIS) Inexpletas ſpectandi curas vocat, quibus Medea in Jaſonem exarſerit. Sic Varro Atacinus inexpletum ſtudium lavandi dixit:

*Tum licet cœli volucres, tardæq́; paludis*
*Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi*
*Et velut inſolitum pennis infundere rorem.*

Arguit autem ejuſmodi conſpectum ſummi amoris indicium in Medeâ fuiſſe. Virgil. De Didone lib. I. Æn.

*Expleri mentem nequit ardeſcitq́; tuendo.*

Lucr. lib IV.

*Nec ſatiare queunt ſpectando corpora coram.*

Martialis:

*Inſpexit molles pueros oculisq́; comedit.*

Eundem ad modum Terent. Phorm. 1.2. dixit oculos paſcere: & Ovid. III. Amor.

*---- ---- oculos paſcat uterq; ſuos.*

Huc pertinent illa Nonni lib. XLII. v. 236.

Πάντων γὰρ κόρος ἐστὶ παρ' ἀνδράσιν, ἤδεος ὕπνου,
μολπῆς τ' εὐκελάδοιο καὶ ὁππότε κάμπτεται ἀνὴρ
ἐς δρόμον ὀρχηστῆρα· γυναιμανέοντι δὲ μούνῳ
οὐ κόρος ἐστὶ πόθων.

De patre filium adſpiciente Catull. in Ariadna.

*---- ---- cui languida nondum*
*Lumina ſunt nati carâ ſaturata figurâ.*

Plautus Prolog. Pſeudoli:

*Aures, oculi, animus ampliter fient ſaturi.*

Seneca Epiſt. LIX. *Cælator oculos diu intentos remittit ac relaxat, & ut dici ſolet, paſcit.* Iſidor. Peluſiot. lib. III. ἀκορεστέσιν ὀφθαλμοῖς ἐσιδὼν τὸ πάθος. Euripid. Androm. ὄμματ' ἐνεπιμπλάμην. Senec. cap. XIIX. de Conſol. ad Mart. *ſatiare oculos ſpectaculo.*

FINIS LIB. VI.
θεῷ δόξα.

IN